

Ab. 127.
29.



DISPUTATIO

Quinta

DE NEGOCIIS
GESTIS ET CA-
lumniatoribus

Quam

Deo optimo maximo

auspice:

PRAESIDE

ORTOLPHO FOMANNO


V. I. D. & P. P. P.

*In publico Pandectarum Collegio de-
fendere conabitur*

Laurentius Kuppelich

Feuchtvvangelis


a. d. XI. Augusti, loco horar₃ consuetis,



I E N Æ

Typis Tobia Steinmanni,

Anno 1713 IC.



CLARISSIMO CONSVL-

risimoq; viro

DN. VICTORINO

STREITBERGERO V. I. D.

Illustrissimo ac Celsissimo Principi ac Domino,
Dn. GEORGIO FRIDERICO Marchioni
Brandenburgico, Duci Borussiae, Burggraui Noriber-
gae, &c. a consilijs, Aduocato, & prouincialis iudicij,
quod est Onoltzbachij, adessori dignissimo,

Dn. ac fautori suo multis nomi-
nibus honorando,

Has ex iure civili positiones

L. M. Q. D.

Laurentius Kuppelich
Respondens.

IN HONOREM LAURENTII

KVPPELICH, amici & collegae sui.

KVPPELICH es merito, hoc Germano idiomate nomen
Cum proprijs studijs & genitura dedit.
Hoc tenuere tui & propagauere parentes,
Et qui de patrijs ante fuere sacris,
At magis atq; magis te te clarescit in uno
Atq; viget summo nunc in honore suo.
Sunt satis indicio themata haec conscripta labore
Proprio, & assidui, quos legis ipse, libri.
Perge ita, & ingenij vegetum refoue usq; calorem,
Ne nomen studijs cassum & honore geras.

Scribebat Iacobus Strassius Aller-
hemius Suecus.



NEGOCIORVM GESTIO EST IM-
proprius seu q. ^{lib. 2. c. 19 fol. 76} contractus bonæ fidei, in
quo quis sua sponte alterius ignorantis vel
^{lib. 2. c. 19 fol. 53} absentis negocia utiliter gerenda suscipit.

lib. 2. c. 1. 19 f. 1.

II.

Diuidi potest negociorum administratio in Ge-
neralem, qua omnia bona seu negocia administran-
tur, & specialem h. e. certi alicuius negocij.

III.

Estq, negociorum gestio voluntaria, & sponte su-
scipitur: sed quia nonnullæ causæ ita sunt comparatæ,
ut nulla alia actio inde derur, & tamen iniquum sit,
omnem actionem denegari, igitur interdum, etiamsi
necessitate quis aliqua vel necessitatis suspicione ad-
ductus gerat, utili negociorū gestorū iudicio uti po-
terit. Hinc distinguunt negociorū gestionē in volun-
tariam, & necessariam. IV.

lib. 2. c. 1. 19 f. 157

lib. 2. c. 1. 19 f. 53

Causa efficiens remota negociorum gestionis est *Efficiens*.
Ius Prætorium: Propinqua verò factum hominis, qui
negocium alienum sponte gerendum suscipit.

lib. 3. cum d. 7. 5. ff. 2.

V.

Pupillus aliena negocia gerere potest: & ex gestu
suo tenetur, quatenus factus est locupletior. Si agit,
compensationem eius, quod gessit, patitur.

De furti si ne
gocio videtur ad
axam. can. d. 20
1617 f. 70

VI.

Negocia autem pupilli qui gessit, eundem habe-
bit sibi obligatum factum locupletiozem.

lib. 2. c. 1. 19. fol. 25.

VII.

Sed & mulier negocia aliena recte gerit. Hinc qua-
ritur, An mater respectu alimentorum intra primum
triennium liberis præstitorum, negociorum sit gestrix,
eoq; nomine contra liberos agere possit? N. An vero
ipsi ea de re in patrem diuitem dabitur actio? A.

lib. 2. c. 1. 19 f. 13

A Quod



VIII.

S
7

lib. 2. c. 1. 19 fol. 17 Quod si trimos maioresve aluerit, pietatis ratio-
ne id fecisse existimatur: ideoq; actio ei denegatur.
Quid si protestata fuerit, se repetendi animo id face-
re, vel simul liberorum bona administraverit? Tum
non censetur pietatis ratione id fecisse.

IX.

1. l. 3. par. 4. t. 5. f. 5 Num & errans gerit negocium, verbi causa, fi-
deiussit pro Titio putans sibi mandatum esse, vel sol-
uit creditoribus hereditarijs pecuniam, existimans
sororem suam defuncto heredem testamento exti-
tisse? omnino.

X.

lib. 2. c. 1. 19. fol. 133
Materia.

Ac sciendum, Negotium, quod geritur, alienum
esse oportere. Vnde quaesitum, si quis in rem alienam
impendit, suam esse existimans, an directa inde actio
oriatur? A. Num & contraria? Molin. inter ius stri-
ctum & aequitatem distinguit. Nos cum Cuiacio re-
tentionis saltem beneficium locum habere asserimus.

XI.

d. t. 19 f. 132

Suum vero proprium negocium si quis gesserit,
alienum ratus, nulla utrinq; competit actio.

XII.

lib. 2. c. 1. 19 fol. 128

Sempronij negocia gessi, cum Titij me negocia
administrare arbitrarer, quaeritur, vtrum Semproni-
um mihi obligatum reddiderim, necne? Illud magis
est.

XIII.

d. t. 19 f. 135

An correo, qui soluit totum, negociorum gesto-
rum actio detur contra correum controuertunt Dd.
Distinguiamus cum Sichardo ad l. 2. n. 15. C. de duob.
reis.

XIV.

lib. 2. c. 1. 19 fol. 68

Eum qui pro tutore negocia gerit, & protutelæ,
& negociorum gestorum teneri statuimus.

In



XV.

In specie l. 3. ait Prator. §. si exsecutor. 8. D. de
neg. gest. quæritur, doline an negotiorum gestorum
detur actio? Nobis hanc dari verius videtur.

lib. 2. c. 1. 19 f.
109

XVI.

Si, quod tuo nomine negotium, cum tuum non
esset, gessi, tu ratum habuisti, quæritur, An mutæ in-
ter nos natæ sint actiones? Quod adfirmamus.

lib. 2. c. 1. 19 f. 125

XVII.

Ergo Titij quis gerit negotium, non tantum si
Re ipsa, vel cura & sollicitudine, sed etiam rati habitio-
ne ad ipsum spectat. Alij addunt quartum modum,
quod nostrum fiat negotium etiam ipso gestu.

lib. 2. c. 1. 19 f.
215.

XVIII.

Ad rati habitioem duo requiruntur. I. ut con-
templatione eius negotium gestum sit, qui ratum ha-
bet. II. ut negotium, quod eius nomine gestum est,
ipso gestu ad nullum alium pertineat. Quid si absens
scit, nec contradicit? In eorum descendimus senten-
tiam, qui dicunt, non mandatum, sed negotiorum ge-
stionem hoc pacto contrahi.

lib. 2. c. 1. 32
f. 24

lib. 2. c. 1. 19 f. 120

lib. 2. c. 1. 19 f. 125

XIX.

Ex negotiorum gestione duplex actio nascitur: *Effectus.*
Directa & contraria. Directa ei competit, cuius in-
terest, siue is dominus sit rei gestæ, siue non sit, contra
gestorem: ad hoc potissimum, ut susceptæ administra-
tionis rationem reddat, & præster omne damnum,
quod ex eius gestione actor sensit ob malam admini-
strationem.

lib. 2. c. 1. 19 f. 1
209

XX.

In hanc autem actionem culpam leuissimam non
venire Dd. communiter statuunt, Existimamus ex le-

A 3

gum

S
P

lib. 2. c. 1. 19 f. 191.

gum praescripto negot. gestorem de leuissima teneri culpa. Quid si res male gesta probata est? De dolo gestor obligatus dicitur. f. 191.

XXI.

lib. 2. c. 1. 19 f. 174
2. 209

Contraria actione experitur gestor contra dominum negotij ad id consequendum, quod de suo in negotium domini necessario & utiliter impendit, & quidquid ei abest eo nomine ab futurumve est. An inutiliter gesto negotio eoq; probato haec actio dabitur? A. Meum negotium meo nomine gestum si ratum habeo, num actio negotiorum gestorum in me competit? A.

2. 1. 19 f. 177

lib. 2. c. 1. 19 f. 135

XXII.

2. 1. 19 f. 180.

In utraq; autem actione etiam usurae praestandae sunt: sed qui eius pecuniam, cuius tutelam negotiaue administrat, in usus suos conuertit, maximas usuras praestat, ut in l. 38. D. h. t. legitur. Nec opus est, ut secundum Accurs. verba tutelam negotiaue, pro negotijs saltem tutelaribus accipiantur. Sicut nec traiectionem uerborum in l. 10. §. 3. qui cum d. l. 38. pugnare videtur, admittimus.

2. 1. 19 f. 182

XXIII.

Decalumniato-ribus.

Postquam dictum est de ijs, qui negotia aliorum suscipiunt: superest, ut aliquid etiam de calumniatoribus h. e. ijs, qui pecuniam acceptam negotium alijs faciunt, vel non faciunt, dicamus.

XXIV.

Calumniator in hoc edicto is dicitur, qui per fraudem non sine quaestu in iudicio alteri negotium facere instituit, vel pecuniam ab alio accepit, ne ipsi negotium faceret.

Cui & contra quem detur haec actio.

XXV.

Actio itaque de calumniatoribus ex duplici causa

causa oritur. I. Si locavit quis operam suam pecuniâ acceptâ, ut negocium alicui calumniæ causa faceret: quamvis non fecerit.

XXVI.

II. Si quis à Sempronio pecuniam accepit hoc pacto, ne per calumniam ei negocium faceret.

XXVII.

Quæritur, qua actione teneatur is, qui Sempronio pecuniam dedit, ut calumniæ causa Caio negocium faceret? Nos eâdem poena illum adficiendum esse defendere conabimur. XXVIII.

Pecuniæ autem appellatio hîc latissimè accipitur: significat enim omne id, quo nostra conditio melior efficitur, quacunq; ratione compendium sentiamus.

XXIX.

Porro hæc actio locum habet non tantum in cau- *Materia.*
sis civilibus, sed etiam in publicis criminibus. Correctionem §. I. lib. I. recept. sent. Pauli t. 5. dum pro
verbis: *publicis iudicijs*: substituuntur vocabula: *extraordinarijs criminibus*: reijcimus.

XXX.

Et datur primum ei, cui negocium factum est, intra *Effectus:*
annum utilem in quadruplum (disputant, an quadruplo
plo simplum insit? quod adfirmamus, quia quadruplo
simplum semper connumeratur, nisi lege aliqua aliter
sit constitutum) eius summæ, quæ data est: post annum .a. in simplum. XXXI.

Deinde ei datur, qui pecuniam dedit, ne negocium sibi calumniæ causa fieret, quia hîc in accipiente tantum turpitude est. XXXII.

Heredi hæc actio denegatur, quia sufficere debet, quod pecuniam à defuncto datam condicere potest. Sic nec in heredem conceditur, nisi quatenus ad eum peruenit, quia pœnalis est actio.

Illud:

XXXIII.

Illud notandum, quod qui dedit pecuniam, ut
negocium pateret, non habebit repetitionem, quia
turpiter fecit. Item si & à me accepit numos, ne pa-
terer, duobus iudicijs mihi tenebitur.

XXXIV.

Dedi pecuniam, ne mihi fieret negocium, quæ-
ritur, An hoc in casu conditio ob turpem causam
cum hac in factum actione in quadruplum concurre-
rat? A: ita tamen, ut una alteram, quoad simplum,
consumat.

XXXV.

Qui vero me nec mandante vel ratum habente
dedit pecuniam, ne contra me calumniosè agere-
tur, simplum potest repetere condictione ob turpem
causam.

XXXVI.

Nec illud prætereundum, quod calumniator in
ciuili iudicio, non tantum ordinariè ex edicto actio-
ne in factum; sed etiam interdum extra ordinem co-
erceatur.

XXXVII.

Denique citrà priuatam actionem in iudicio
publico ordinariè olim imprimebatur calumniato-
rum fronti litera K. vel C. postea talionis pœna irro-
gabatur. Hodiè extraordinariè calumniatores pu-
niuntur, & infamià notantur.

XXXIIX.

Colophonis loco quæstionis est, An ciuilis a-
ctio criminali præiudicet? N.

F I N I S.

Kc 3192

8^o


(X2217985)

VO 12

MC








B.I.G.

Farbkarte #13



DISPUTATIO

Quinta

DE NEGOCIIS

GESTIS ET CALUMNIATORIBUS

Quam

Deo optimo maximo

auspice:

PRAESIDE

ORTOLPHO FOMANNO

V. I. D. & P. P. P.

In publico Pandectarum Collegio defendere conabitur

Laurentius Kuppelich

Feuchtvangensis

a. d. XI. Augusti, loco horarum consuetis,



I E N A

Typis Tobiae Steinmanni,

Anno 1710 IC.

